



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 59. Clericorum carceres.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](#)

Sæcul. XIV.
A. C. 1351.

annueret : dicebatque , ut ambæ partes querelas suas scripto traderent: se cognitores eis egregios designaturum.

§. LIX.

Clericorum carceres.

to. XI Conc.
p. 1928.

Antea de severitate carcerum monasticorum , ut vidimus , postmodum e contrario de facili captivitate Clericorum nocentium querelæ movebantur. Id docet Simonis Ippipii Cantuariensis Archiepiscopi ad Radulphum Strafortium Episcopum Londinensem epistola , ubi ait: In ultimo senatu conquerebamur , quod profani Judices condemnent , ac perimant Clericos , quin etiam Sacerdotes. Sed , ut nobis responsum est , Clericos privilegium suum reddit audacieores ad committenda crimina : & comprehensi , vel saltē accusati convictique repetenti se Judici ecclesiastico reverenter traduntur : sed asservantur ab eo socorditer ; & in carcere tam laute vivunt , ut hic eis sit deliciarum , non poenæ locus , ac peiores exeant , quam intrarunt. Quidam etsi manifesto fontes , & cooperti criminibus non excusandis tam facile admittuntur ad purgationem canonicam , ut ad vitam priorem redeundi spem conservent . Et malum hoc exemplum est Clericis cæteris

ris illecebra peccandi non sine damno pa- **Sæcul. XIV.**
cis publicæ. **A.C. 1351.**

Has ob causas de consilio nostrorum
Fratrum Episcoporum illo in senatu præ-
sentium decrevimus ea, quæ sequuntur.
Judices ecclesiastici nostræ provinciæ Can-
tuariensis curabunt Clericos ob privile-
gium Cleri sibi traditos congruenter sta-
tui & pro ratione hominum criminum-
que custodiri, ita, ut carceris pœnam
sentiant. Si sint malefici manifesti, &
publice infames, ita, ut eorum liberatio
Ecclesiæ offenditionem, ac regno pericu-
lum creare possit, diebus Mercurii, Ve-
neris, & sabbati pane & aqua, reliquis
diebus pane & cerevisia tenui, dominica
etiam quibusdam oleribus reficientur:
nec addetur quidpiam quacunque de-
mum de causa. Si captivi sint innocen-
tes, non poterunt admitti ad purgatio-
nem canonicam nisi post accuratas inqui-
sitiones legitime suis in locis factas. Da-
bat 18 Febr. 1351.

§. LX.

Privilegia Regis Franciæ.

Sub idem tempus Papa Clemens Regi **Spicil. to. 4.**
Franciæ Joanni, ac Reginæ Joannæ **p. 274. &c.**
secundæ conjugi ejus diversas fecit gra- **c. 26.**

Ss 5 tias